



THEOLOGIA



PHILOSOPHIA



VIRTUS



HONOR

AD C. CORNELII TACITI  
 lib. 4. Histor. cap. 74.  
**DISSERTATIO  
 POLITICA,**  
 DE  
**UNIVERSALI  
 MONARCHIA:**  
*una cum florilegio*  
 Selectiorum ex eodem Autore  
 Sententiarum:

quas  
 in Universitatis Argentoratensis  
 Auditorio majore,  
 Praeside Viro Clariss.  
**Dn. MATTHIA BERNEG-  
 GERO, HIST. PROF.**

publico ac solenni examine,  
 die 9. Junii  
 Ventilandas proponit  
**MARCUS à RECHLINGEN, &c.**

ARGENTORATI,  
 Typis RIHELIANIS,  
 ANNO M. DC. XXV.



JURISPRUDENTIA



MEDICINA



Jacobus ab heyden sculpsit excuditque

*In syzygesin Politicam*

NOBILISS. DN. MAR-  
ci à Rechlingen, &c. quam  
sub præsidio V. Ex-  
cellentifs.

DN. M. MATTHIÆ BERNEGGE-  
RI, Histor. Professoris in incluta ARGEN-  
TOR. Acad. instituit, Epode  
G. REMI.

HORTOS *Hesperidum celebravit cana  
vetustas,*

*Quæis nil amanius fiet:*

*Laudavitq; eadem quondam Peneia tempe,*

*Ubi perenne ver fiet,*

*Fontibus irrigua, & volucrum cōcentibus usq;*

*Referta; quæis nil suavius*

*Visu. PRAESOPHIES verò florentibus Hortis*

*Horti TIBI Hesperidum nihil*

*Sint, ó MARCE, decus Patria pralustre futurū:*

*Nibilq; Tempe Thessala.*

*Hæc*



# VERBA TACITI.

*Pulsis ( quod dii prohibeant ) Romanis ,  
quid aliud quam bella omnium inter se gētium  
existent? lib. 4. Histor. cap. 74.*

## QUÆSTIO I.

*An consultum sit , universalem aliquam Europæ,  
atque adeò Orbis Monarchiam  
constitui?*

### Propositio I.

**P**Lutarchus initio commentarioli de fortunâ  
Romanorum, Imperium Romanum appositil-  
simè nominat & *Vestam sacram*, & *stabile retina-*  
*culum*, & ANCHORAM, quâ fluctuans illa Mundi  
ceu navis, post magnam jaclationem, adfirmata tandem  
ac stabilita conquieverit.

## II.

*Ute enim (addit) ex opinione quorundam Physicorum, an-  
te Mundi constitutionem, corporibus aliis parvis etiamnum, ac  
sparsim agitatis, subterlabentibusque, & comprehensionem ne-  
xumque effugientibus, aliis grandioribus jam & compactis, atro-  
cia invicem certamina exercentibus, turbasque dantibus, cum*

---

*ANTHOLOGIA POLITICO-  
rum Axiomatum, ex universo Taciti opere  
collectorum, Auctarii lo-  
co subjecta.*

I.

**A**rima Civilia neque parari possunt, neque haberi, per bonas artes. *Tacit. lib. 1. Annal. cap. 9.*

II.

Mos Tiberio fuit, (non usq<sup>ue</sup> quaq<sup>ue</sup> probandus) continuare imperia, & plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitiis aut Jurisdictionibus habere. *Lib. 1. Annal. cap. 80.*

III.

Conjuratiōe detecta, quamquam multi sustentasse opibus, juvisse consiliis dicantur, haud quaerendum. *2. Annal. 40.*

IV.

Non fraude, neque occultis; sed palam & armatum, hostes suos ulcisci par est. *2. A 88.*

V.

Principes eximi dicendæ primo loco sententiæ, civile est, ne cæteris assentiendi necessitas fiat. *3. A. 22.*

VI.

Omittenda potius prævalida & adulta vitia, quam hoc assequendum, ut palam fiat, quibus flagitiis impares simus. *3. A. 53.*

VII.

Consulcum est, non esse successorem in incerto. Sic cohibentur pravæ aliorum spes. *3. A. 56.*

VIII.

Mobiles adolescentium animi, præmaturis honoribus ad superbiam non extollendi. *4. A. 17.*

IX.

Vulgi convicia ferre Principem & relinquere, moderationis non